

obnoxia. Scribit S. Gregorius Nazianz. orat. XIX. in funere patris, patrem suum ardentissima et diuturna febri exhaustum sumpta s. eucharistia convaluisse subditque idem aliquando matri suae contigisse.

Quarto, aliquos sustentavit sine omni corporali cibo, uti Joannem monachum in hist. Lausiaca Palladii, c. XV. Ludovicum Pium imperatorem in supremo morbo, quo obiit, per dies quadraginta apud Thom. Boz. de sign. eccl. to. l. XV. c. II. puellam in ditione Tullensi per triennium, apud Sigebertum, in chron. anno Domini 833. S. Mariam Oigniacensem durante infirmitate, apud card. Vitriac. in vita, l. II. c. XII.

VI. Quia cœna est maximi periculi, si nimirum ad eam indigni accedere præsumant. In convivio Assueri apponebatur vinum *abundans et præcipuum* (Hebr. *vinum regni*, hoc est, optimum et generosissimum) et propterea, quia periculosissimum erat, ne multi eo abuterentur in suam perniciem, existimo regem præcepisse ne alter alterum cogeret ad bibendum. Immediatè enim subditur: *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, etc.* Esther 4. Similiter in cœna Christi non apponitur communis panis et vinum, sed panis et vinum regni, id est, celeste, angelicum, divinum. De quo vino intelligo id Christi: *Nemo vinum novum mittit in utres veteres, alioquin dirumpet vinum utres*, Marci II. Vinum novum est eucharistia, quam quia Judas indigne sumpsit, (probabile enim est accepisse, ex S. Luca, et sententia August. tr. LXII. in Joan.) *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus*. Quare apostolus præcipit corpus Domini dijudicandum, id est, non pro communi pane sumendum. Ait enim 1. Cor. XI. *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Idque confirmat ipso rei eventu subdens: *Ideo inter vos multi infirmi et dormiunt multi*, id est, infirmantur et moriuntur, quia scilicet indigne communicarunt. Sane olim ob hoc peccatum aliqui vexati sunt a dæmone, ut testatur S. Chrysost. in 1. ad Tim. hom. V. et S. Cyprianus, serm. de lapsis, scribit plures, qui post gustata idolothya indigne communicarant, varie punitos fuisse, vel enim eucharistiam eos removere debuisse, vel attingere non ausos, vel cinerem pro ea in manu invenisse, vel a spiritibus immundis agitados, vel obmutuisse, vel linguam propriam discerpisse. Memorabile etiam est, quod contigit Lothario Francorum regi et complicitibus ejus, anno Domini 888. quando Romæ ab Hadriano papa simulata cum poenitentia et absque retractione sceleris, eucharistiam acceperunt. Omnes enim illi divino iudicio percussi, ab hac luce subtracti sunt

antequam subsequenti anni rediret principium: perpauci, qui se a communione subtraxerunt, vix mortis periculum evaserunt. Porro Lotharius Roma egressus morbo corripitur et Placentiam civitatem perveniens, diem clausit extremum, ut describit Regino, apud Baron. anno 868.

Hinc canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus*. Sic mel nocet cholericis, prodest phlegmaticis: sic eadem columna illuminavit Hebræos, excæcavit Aegyptios, Exod. XIV. ut habetur ex Chaldæo: sic ex eodem fonte Hebræi hauriebant aquam claram, Aegyptii vero sanguinem, ut scribit Josephus: sic ex eodem flore apis sugit mel, aranea venenum. Quare ne de salutis fonte hauriamus nobis mortem damnationem: Probet seipsum quisque, et sic de pane illo edat. «Necessè est, inquit, S. Greg. I. IV. dial. c. LIX. ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Domine mysteria celebramus, debemus imitari quæ agimus. Tunc enim vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus.»

Sed ii qui modis aliis s. eucharistiam irreverentiam intulerunt, ultricem sæpe Dei manum experti sunt. Anno namque Domini 1278. in Trajecto superiori cum in ponte multi choreas ducerent, interimque ad ægotum eucharistia in viaticum deferretur, nec illi choreas intermitterent, ducenti in Mosam fluvium demersi sunt, ponte cum divino miraculo cadente; cum jam sacerdos cum eucharistia præterisset, unus tantum ex iis salvus fuit, haud dubie futuri salvi omnes, si eucharistiam venerabundi fuissent secuti. Hæc Nauclerus gener. XLIII. in fi. Cranzius, in metrop. I. VIII. c. XXXIX. sed et anno 1248. ob unius pugilis habitam eucharistiam irreverentiam, tota Prisia, æstu maris demersa est, periissequè memorantur centum et eo amplius hominum millia, Naucler. gen. XLI. sub finem Trithem. chron. Hirsaug.

Quum igitur, auditores, tam magna est hæc cœna, sit magna etiam nostra erga eam reverentia: magna pietas et devotio ad eam adorandam: magna humilitas et abjectio ad eam venerandam: magna præparatio ad eam suscipiendam.

CONCIO II.

FACILIA CREDITU OSTENDUNTUR CIRCA EUCARISTIAM, QUAE HERETICIS INCREDIBILIA VIDENTUR.

I. Prius scopulus Sacramentariorum. Quod non potuerit Christus se constituere in eucharistia. At: 1. Potest Christus mutare panem et vinum in corpus suum. 2. Potest Christi corpus simul esse in pluribus locis. 3. Potest totus Christus sub

exigua panis specie existere. 4. Potest latere sub speciebus panis et vini. 5. Possunt accidentia existere sine suo subjecto; ergo potuit se constituere in eucharistia. — II. Secundus scopulus: Quasi non voluerit Christus: sed objectionibus respondetur.

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Luc. XIV.

Jure merito cœnam magnam interpretari possumus sacram eucharistiam, ubi præstantissimum illud epulum gloriosi corporis Christi cum pretioso ejus sanguine, beatissima anima, infinitis meritis, ipsaque divinitate sumendum Christianis apponitur. Sed enim cœnæ illi, quantumvis omnium maximæ, detrahunt sectarii, maxime Calvinistæ, qui pro illa fictam cœnam apponunt; dum asserunt ad figuratam tantum cœnam nos a Christo invitari; siquidem præsentiam Christi realem ab ea tollunt, et figuram ei substituunt: similes Heliogabalo imperatori orbis portento, qui cum aliquando populum Romanum ad convivium invitasset, apparatu splendidissimum, et plurima turba confluxisset, convivium expectans, tum nonnisi cibos pictos et fictitios afferri curavit fucataque fercula; ita ut convivæ delusi majori cum fame recesserint quam advenirent, ut scribit Ælius Lamprid. in Heliogab. Ad eundem modum Calvinistæ, tametsi nos Christus ad veram corporis sui communionem invitavit, fictitiam substituunt et figuras tantum apponunt, unde nemo reficitur, nemo confortatur. Sed absit ut a pingui Christi convivio, ad umbraticum et ludicrum hoc convivium abduci nos patiamur, monet enim Sapiens, Prov. XXIII. *Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mandacii*. Veritatem instituit Dominus: *Caro mea vere est cibus: accipite et comedite, hoc est corpus meum*. Isti mendacium obtrudunt, figuras substituunt non minori stultitia quam temeritate sed quid tandem causæ est, quod veram catholicorum cœnam aversentur et fictitiam comminiscantur? Quid tandem illos retinet, quod cœnam nostram aversentur? Audiamus.

I. Quandoquidem habemus expressa Christi verba: *Caro mea vere est cibus: Hoc est corpus meum, etc.* Habemus consensum Conciliorum et sanctorum patrum, praxin Ecclesiæ perpetuam, miracula innumera; quid est, o hæretici, quod vos ad hanc cœnam venire nolitis: quid tandem vos retinet? Duo sunt quæ eos retinent: primo, putant Christum facere id non potuisse: secundo, non voluisse. Igitur respondent primo, intelligi non posse, quomodo fieri queat, ut panis et vinum mutetur in corpus et sanguinem Christi: ut idem corpus Christi simul sit in

pluribus locis: ut ipse existat totus sub tam exigua specie: ut dum vident oculi nostri panem et vinum, nos discamus et credamus esse corpus et sanguinem Christi: et si hoc sit, ut accidentia panis et vini maneant ibi sine subjecto. Hæc, inquit, mirabilia. incredibilia videntur, ideoque ad cœnam vestram non venimus, habete nos excusatos. Sed numquid non legistis: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se?* Ps. C. manna videlicet in deserto. Quod cum figura tantum esset eucharistia, tanta tamen miracula continebat, quid mirum si plura et majora continebat eucharistia: manna angelorum manibus conficiebatur, mutatione alterius corporis, ut aeris in panem: et quanta in eo mirabilia? Licet alii minus, alii plus colligerent, nemo tamen domi plus inveniebat, quam eandem mensuram gomor scilicet: quia angelus id quod minus erat, rarefaciebat: id quod plus, condensabat, ut singuli haberent unum gomor, ut Abulensis censet et alii: habebat sapes omnium ciborum, quos quisque appetebat, saporem carnis, herbarum, pultis, etc. ad solem liquefiebat, ad ignem vero nequaquam; in crastinum servatum mox vermibus scatebat, præterquam in sabbato; feria sexta duplum semper depluebat, sabbato nullum; asservatum juxta præceptum Dei, multis sæculis incorruptum mansit; denique, per annos quadraginta depluebat continuo, tam hieme, autumno, quam vere et æstate. Quæ omnia angelorum ministerio peracta fuere, ut propterea panis angelorum vocaretur a Davide manna, Ps. LXXVII. Non debeat igitur, vel non possit Christus majora mirabilia ostendere in eucharistia, cujus figura tantum erat manna? Sane ut hujus suæ potentie fidem astrueret in discipulis suis, omnibusque fidelibus: non multo ante institutionem eucharistie omnium maxima patravit miracula, ut cum quinque panibus multiplicatis pavit hominum quinque millia: cum cæcum natum illuminavit, quod a sæculo non fuit auditum: cum Lazarum e sepulcro quatruiduanum excitavit.

Primo, igitur non potuit Christus mutare panem et vinum in corpus et sanguinem suum, qui in Cana Galilææ potuit mutare aquam in vinum? Audi Cyrillum Hieros. in catech. mystagog. XIV. «Aquam Christus aliquando mutavit in vinum, inquit, quod est sanguis propinquum in Cana Galilææ sola voluntate: et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit?» Quid, quod ipsemet diabolus credidit Dei Filium unico verbo posse lapides convertere in mollem panem: *Si Filius Dei es, inquit, dic ut lapides isti panes fiant*. Peiores

igitur et magis increduli hæretici ipsomet diabolo. Advertit vero Beda, recte dixisse dæmonem: *Dic*, non: *Fac*, quia scriptum noverat: *Dixit Deus: Fiat lux et facta est lux*, hoc est, Filium Dei verbo condidisse omnia et e nihilo fecisse, proinde uno item verbo, ac facilius posse mutare lapidem in panem. Quod argumentum expendit Amb. l. IV. de sacr. c. IV. cum ait: « Sermo conficit hoc sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus et factum est cælum: jussit Dominus, et facta est terra: jussit Dominus, et facta sunt maria: jussit Dominus et omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? Cælum non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quam jam corpus est Christi. Ipse dixit et factum est, etc. » Idem sanctus alio loco (de iis qui initiantur mysteriis, c. IX.) « Forte dicas, inquit, aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam et facta est serpens. Rursum apprehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgæ. » Ac tandem post multa alia exempla veteris legis subdit: « Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? » Hæc ille. Qui postremis verbis recte ostendit consecrationem fieri ex vi verborum Christi tamquam principaliter operantis, postquam semel et primo dixit: *Hoc est corpus meum*, idque facere præcepit sacerdotibus, idem etiam deinceps semper consecrat cum illis. Nam ut ait S. Chrysostomus, hom. de prodit. Judæ, quemadmodum verbum illud, quod in principio mundi dixit Deus: *Crescite et multiplicamini et replete terram*, semel tantum ab ipso prolatum, suum hucusque retinet effectum concurrente natura

ad rerum omnium generationem: ita etiam verbum illud Christi Domini: *Hoc est corpus meum*, quamvis semel tantum ab ipso prolatum, retinet semper viam suam, et replet Ecclesiam hoc sacrificio et sacramento, accedente tamen sacerdotis consecratione, qua verbum illud Christi in ejus virtute repetit. Cæterum hanc veram et realem conversionem plurima comprobavere miracula, quibus modo in elegantem puerulum mutata visibiliter apparuere sacra mysteria: cujusmodi multa recenset Tilm. Bredemb. l. 1. collat. XXXIII. ubi ex Sozomeno, l. VIII. recenset mulierem hæreticam, quæ in sumptione eucharistiæ maritum fallere volens, panem vulgarem loco eucharistiæ ex composito sumens, eundem dentibus admotum et admorsum, in lapidem conversum esse permansit, qui deinceps Constantinopoli asservabatur. Nimirum ut sic crederent, panem mutari posse in lapidem; qui credere nolunt mutari posse in corpus Christi.

Secundo, quid impedit, cur Christus Domini corpus non possit esse simul in pluribus locis? Nonne Christus de cælo sedet semper a die ascensionis, donec ponantur inimici ejus *scabellum pedum* ejus, id est, usque ad diem judicii, Ps. CIX. seu: *Usque in tempora restitutionis omnium*, ut habetur, Act. III. Atqui interim in terris sæpius visus est, uti Paulo tamquam testi resurrectionis, 1. Cor. XV. Si enim non vidisset Dominum in propria persona, non potuisset se æquare Petro et aliis testibus resurrectionis, ut ubi facit; et si in cælis tantum, non item in terris existentem vidisset, quomodo S. Stephanus, non fuisset idoneus testis resurrectionis. Et certe Conc. Trid. sess. XIII. cap. 1. definit non repugnare Christo sedere semper ad dexteram Patris in cælo juxta modum existendi naturalem, et interim sacramentaliter aliis in locis præsentem esse: quemadmodum S. Chrysostomus, l. III. de sacerdot. dixit: *Qui cum Patre sursum sedet*, inquit, *in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur*. Accedit similitudo verbi vocalis, quod simul in meis et plurimorum auribus idem ipsum recipitur et percipitur. Potest ergo hoc natura in verbo corporali: cur verbum Dei caro factum non possit simul multis in locis corporaliter adesse? Una et eadem facies tua in pluribus speculis oppositis simul et semel tota videtur, cur non possit Christus realem sui præsentiam pluribus in locis constituere? Legitur certe apud Gregorium Nyssenum, S. Gregorium Thaumaturgum absentem licet aliquando adstittisse Troadio cuidam pro fide pugnantii. Et S. Aug. lib. de cura pro mort. cap. XI. scribit se absentem aliquando noctu adfuisse Eulogio et quiddam ei exposuisse. Idem de aliis etiam sanctis non semel factum legitur. Denique,

nulla adhuc inventa implicancia seu contradictio circa hoc: Deo igitur possibile est. Et si duo et plura corpora possunt simul esse in eodem loco, uti mox dicemus, ergo a pari, idem corpus esse in duobus et pluribus locis. Utrumque enim est par difficultatis, et par potentia.

Tertio, non repugnat totum Christum existere sub exigua panis et vini specie. Sciendum enim, licet ordo partium in toto remaneat in corpore Christi, (ita scilicet ut pes non sit in capite, etc. sed collum infra caput, pectus infra collum, etc.) non remanet tamen ordo partium in loco seu commensuratio ad locum, quæ non est de essentia corporis. Etenim Christus intravit ad discipulos januis clausis post resurrectionem: clauso exivit sepulcro cum resurgeret: ascendens penetrauit cælos; non utique eos scindendo, cum ex communiore sententia, sint corpora solida: idem Dominus dixit apud Deum possibile esse ut camelus transeat per foramen acus. Si ergo facere Deus potest, ut camelus in ipso acus foramine integer maneat, cur non possit Christi corpus servare integrum sub exigua hostia? Si duo corpora possunt esse simul in eodem loco, v. g. Christus et lapis, ergo etiam duæ partes ejusdem corporis. Et si duæ, ergo etiam plures. Nec tamen omni omnino extensione caret Christi corpus in eucharistia, sed coextendit se toti hostiæ, tanta quanta est; potest enim pro libitu majorem vel minorem vel omnino nullum occupare locum: sicut et angelus majorem et minorem prout voluerit. Similiter et anima in corpore crescente, non crescit proprie, coextenso tamen corpori, se quoque coextendit, quatenus est in toto corpore, sive majori, sive minori. Et licet inde pars aliqua dematur, nihil tamen demitur animæ. Similiter licet hostia frangatur, corpus Christi non frangitur, sed species tantum sacramenti: ipsum vero Christi corpus sub qualibet fracture parte integrum manet; sicuti cum frangitur speculum in minutas partes, quælibet pars repræsentat totam hominis faciem, quam prius totum referebat speculum. Licet vero eæ imagines tantum sint: multo fortior natura Deus, ut possit rem ipsam in multis locis ponere. Figuratum hoc in manna quod semini coriandri simile fuisse dicitur, Exod. XVI. De quo semine scribit Philo, 1. II. allegoriar. sacræ legis, quod licet in plures dividatur partes, quælibet tamen ejus pars, si seratur non minorem fructum afferat, quam totum semen affert. Rursum potest angelus ita se contrahere ut in puncto existat, et rursum ita expandere et dilatare ut totum cubiculum occupet: ergo potest etiam Deus corpus per spatium expansum contrahere in punctum. Corpus igitur Christi est in hostia

ad instar angeli. Imo cernimus etiam in natura posse rarefieri et extenuari, v. g. aquam ab igne ut ebulliat supra ollam: rursum a frigore constringi et condensari ad quantitatem decuplo minorem. Cur igitur hoc non possit Deus facere?

Quarto, non est difficile intelligere, quomodo Christus in eucharistia sit, licet oculi nostri non ipsum, sed panis tantum speciem, colorem scilicet et magnitudinem specierum, lingua gustum percipiat; quis enim dubitat Deum facere posse ut præsens adsit corpus, non tamen videatur, nec audiatur vel tangatur, etc. quando etiam arte magica hoc factum sæpe legimus? Quid enim facilius Deo, quam immutare medium vel aliter impedire species, ne ad organum sensus transmittantur? Sic Christus evanuit subito ex oculis discipulorum euntium in Emmaus, Luc. XXIV. Jam vero: *Dominus dixit*, ait Salomon, *ut habitaret in nebula*, III. Reg. VIII. et sponsa sponsum Christum ait: *Prospicere per cancellos*: per quos scilicet videat homines, non videatur tamen ab hominibus, Cantic. II. *En ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per cancellos*. Quid species panis et vini nisi paries et cancelli medii inter Christum et oculos nostros? Dicamus ergo sensibus nostris, cum aliud intuentur, aliud nos credimus, quod Isaac filio Jacob dixit: *Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau*, Gen. XXVII. vox Christi qui dixit: *Hoc est corpus meum*: manus autem Esau, id est, accidentia et species repræsentant quidem panem, non tamen sunt panis. Tametsi vero corpus Christi refert et conservet accidentia panis non interest. Referebat etiam manna et dabat omnium ciborum sapes, carnis, lactis, herbarum, etc. idem manens quoad substantiam: appetentibus ovum gustum ovi habebat, licet in ovum non verteretur, sed manna permaneret. Cur ergo nequeat fieri, ut corpus Christi referat colorem et saporem cæteraque accidentia panis, licet panis non sit?

Quinto, facere Deus potest, ut accidentia existant sine suo subjecto, et aliunde sustententur; siquidem actualis inhæsiō non est de essentia accidentis, (cum accidens habebat distinctam essentiam a substantia) sed aptitudinalis tantum. Et si substantia potest sustentare accidentia, cur non possit id ipsum facere Deus? Nonne totum id potest prima causa se sola, quod potest mediante causa secunda? Nonne potest calefacere sine igne, illuminare sine luce, etc. qui omnia et omnium causarum virtutes in se eminenter continet? Ad hæc si natura humana privari in Christo potuit sua personalitate, quæ est modus substantialis, et subsistere in aliena personalitate scilicet divina, quanto magis po-

terunt accidentia privari suo subjecto a Deo et sustentari ab illo alio modo? Hinc Sanctus Basilius, hom. 1. et VI. hexam. et S. Greg. Nazianz. in orat. de novo die dominico, et Theodoret q. XIV. et XVI. in Gen. volunt a Deo creatam primo die lucem subjecto caruisse, adeoque per se exiisse, donec quarto die creatus fuit sol. Per consecrationem ergo perit substantia panis, remanent accidentia panis: veluti si ictu fulminis gladius in vagina conteratur, vagina manente illæsa. Fecit ad hoc credendum miraculum illustre, quod Faverni ad sequanum, anno 1608. pontificatu S. Pauli V. quarto contigit in nocte pentecostes, sacra monstrantia cum consecrata hostia, ad venerationem exposita, dum forte ignis in suppositam mensam decidens omnia inflammavit, et circumquaque depavit, quæcumque in altari erant, præter monstrantiam illam, quæ suapte vi illæsa in medio aere pendula prodigiose stetit in oculis innumera multitudinis ad spectaculum confluentis usque ad feriam tertiam, in qua sacerdote prope celebrante sub elevatione corporis Christi, seipsam paulatim novo prodigio, in substratam mensam super librum missalem corporali tectum demisit. Cujus rei nuntius et testis Romam, me ibidem degente, ad pontificem missus erat; eaque scribitur a Carthag. in no. cathol. relig. christ. lib. IX. c. ult. Voluit, ut opinor, Deus opt. max. ostendere se species etiam sacramentales sustentare sine subjecto posse, qui potuit eucharistiam sine fulero.

Tandem quid facere possit Deus; non ipsi nos docere vel examinare, sed discere ab ipso debemus et a Filio ejus Christo, de quo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Et si Pythagoræ discipulis satis fuit referre se ad magistri sui dicta, dicendo: *Ipsæ dixit:* non sit nobis satis, quod ipse Christus Dei Filius dixit: *Caro mea vere est cibus, etc. Hoc corpus meum.* Propterea apostolus in hodierna epistola nullatenus examinat hoc mysterium, sed ad traditionem magistri se refert, atque ita etiam aliis dixit: *Ego enim accepi a Domino, ait, quod et tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Propterea et apostoli in symbolo præfantur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem;* ut sic accedentes ad fidem credamus, Deo omnia possible esse: non examinant illi articulos fidei, sed fundant se in Dei omnipotentia. Quis non facile credat Christum qui in omnibus suis operibus fuit admirandus, in incarnatione, miraculis, resurrectione, ascensione, etiam istud mirabile acere potuisse, ac voluisse.

II. Nolunt hæretici sibi persuadere quod Deus

voluerit (ut detur potuisse) operari mirabilem hanc mutationem. Nam primo, inhumanum, adeoque indignum Christo, sapientia Dei, putant humanas carnes apponere edendas. Quare ostendunt se incredulis illis similes esse, qui scandalizabantur ob id quod Christus dicebat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc.* Jo. VI. Dicebant enim: *Durus est hic sermo, et quis potest eum capere?* Et propterea a Christo discebant. Qualis erat et Averroes ille philosophus, qui dicebat, licet sibi plurima in christiana religione arriderent: ob id tamen se ab ea deterreri eamque fatuam esse, quod Deum se suum manducare astrueret, ut refert Bassæus, conc. II. infra octav. corporis Christi. Sed respondetur Christi corpus incorruptibile esse, nec quidquam pati aut immutari per sumptionem: nec magis impium esse, Christum in eucharistia sumere, quam eundem infantem in ulnas sumere, deoseculari et amplecti, quomodo suscepit Simeon; vel, ut Origenes respondet, c. XV. in Matth. sicuti radius nihil patitur, quocumque se infuderit: et hoc est quod respondit Dominus incredulis illis discipulis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, q. d. juxta interpr. Augustini ibi, ser. II. de verbis apostoli: Putatisne me propositurum carnes meas quasi laniandas dentibus scindendas, quomodo communes carnes laniantur et eduntur? Minime vero: dabo enim vobis me comedendum, et postea videbitis adhuc integrum et ad celos ascendentem; nec quidquam deperire mihi ex hac comestione. Caro, id est, carnalis tantum sumptio et corpus meum quatenus caro tantum sumpta, non prodest quidquam, sed spiritualiter et sub specie panis ad nutriendum spiritum, non ad nutriendam carnem sumpta prodest. Et sic perinde erit me manducari, atque intrare in domum tuam et tecum aliquamdiu morari, postea rursum ad celos evehi. Hac autem ratione nihil inhumani est, Christum edere et bibere. Quis enim dicat inhumanum esse, quod infantes sugant lac de ubere matris. Similiter ergo, imo longe magis sine omni Christi detrimento et sine omni horrore sumitur Christi corpus sub specie panis et vini: quia nihil inde deperit Christo, nec sumitur per modum carnalis cibi, sed spiritualis, nec ad nutriendam carnem, sed ad nutriendum spiritum.*

Secundo, indignum putant Christi majestate, ut ipse in eucharistia apponatur hominibus non tantum bonis, sed etiam malis edendus et bibendus: magisque adhuc indignum, quod aliquando evenire queat ut a vermibus vel muribus arrodatur. Sed quid hoc miramur, cum

sciamus Dei Filium se demisisse ad terram, factum esse infantem et induisse formam servi, lavisse pedes suis discipulis, permisisse se gestandum diabolo in deserto, ac tandem crudelissimis inimicis suis, Judæis et gentilibus flagellandum, illudendum, et crucifigendum? Nimirum sciebat Christus, propter hanc suam nimiam dejectionem aliquos scandalizandos sequæ lapidem offensionis futurum, propterea fideliter monuit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me;* et ne quis ob tantam ejus humiliationem nimium miraretur et offenderet, voluit eam prænuntiare variis figuris: ut crucifixionem suam per serpentem æneum erectum in pertica: venditionem per innocentem Joseph: sepulturam per Jonam. Sic et eucharistiæ institutionem per manna, per esum agni paschalis, etc. ut præmoniti de his novis et stupendis Dei operibus non dubitaremus aut scandalizaremur. Ac licet res indignissima sit Christum manducari ab indignis et peccatoribus, non ideo intermittere debuit præstantissimum hoc beneficium, quod aliis plurimus ingentes fructus pariturum erat: quemadmodum nec intermisit opus incarnationis et redemptionis, licet prævidisset, se a Judæis ingenti eorum scelere ad ipsorum damnationem crucifigendum, et plurimos sibi ingratos futuros ac propterea gravius damnandos.

Tertio, putant non decere eousque progredi Christi bonitatem et charitatem, ut seipsum in eucharistia corporaliter communicet et uniat hominibus: satis esse quod per naturæ nostræ assumptionem se nobis univerit, et postea spiritualiter uniat: nec plus ultra Christum progredi debuisset. Sed quid magis conveniens infinite bonitati, quam communicare se creaturis: modo quo poterat maximo? Quid magis gloriosum Deo quam instituere voluisse rem ad sanctificandos homines efficacissimam? Quid magis ab infinita charitate ejus sperari poterat, quam voluisse in ea natura, quam assumpsit a nobis, perpetuo nobiscum manere, nec horrere hominum uterum cum jam est impassibilis, qui non horruit virginis uterum cum esset passibilis? Etenim, ut exemplo rem declarem: quid verisimilius aut credibilius dici potest de Hippocrate, quam scripsisse illum librum egregium in arte medica? De Cicerone, quam disertam habuisse in senatu orationem? De celeberrimo illo sculptore et pictore Michaelé Angelo, quam insignem fecisse imaginem? Et quid credibilius Deoque dignius, quam instituisse tam præclarum amoris trophæum, quod tam efficax sit ad animas sanctificandas? Quid credibilius, quam voluisse prius traderet corpus suum deoseculandum amicitia discipulis suis,

quam traderet id crucifigendum inimicis, juxta id hymni: *In mortem a discipulo suis tradendus æmulis, prius in vitæ ferculo se tradidit discipulis?* Et propterea sapientissime egit Christus, quando ante institutionem eucharistiæ demisit se in terram et lavit pedes discipulorum inaudita humilitate: ut hinc facile crederemus non fore indignum, si etiam in celo existens demittat se ad nos in eucharistiæ sacramento. Quis non libenter credat, tantum humilitatis magistrum exercere adhuc humilitatem istam?

Contra potius nonne indignum Christo foret, et bonitati ac charitati ejus contrarium, loqui nobis obscure et per figuras in re tanti momenti, nobisque occasionem errandi præbere, quando tam claris verbis dixit: *Caro mea vere est cibus: Hoc est corpus meum, etc.* Præsertim cum is venerit ut non jam per figuras, quemadmodum in veteri lege, sed aperte nobis loqueretur, et viam Dei in veritate doceret? Nonne is lucem mundi se esse dixit, et qui ipsum sequitur, non offendere, eo quod in die ambulet? Et ut fieri posset, ipsum aliud docere voluisse, nosque aberrare: decuit ut per tot centenos annos Ecclesiam suam in tenebris oberrare pateretur, et nulli ex tot sanctis viris intimaret suam mentem, Ecclesiam de errore non mone-ret? Quid hoc aliud esset, quam malignum illum Deum inducere, qui ad destructionem tantum operatur, non ad ædificationem? Quando ergo audivimus potuisse Deum operari mirabilem hanc mutationem, et vero etiam merito voluisse, stet maneatque divina illa et immota veritas, et dicamus cum Davide: *Credidi, et dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax, qui contrarium asserit: Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.*

CONCIO III.

SACRIFICIUM MISSÆ ASSERTITUR.

I. Ex lege veteri. — II. Ex lege nova. — III. Ex consensu Ecclesiæ et patrum. — IV. Ex diaboli oblatione. — V. Ex miraculis. — VI. Ex adversariorum inanibus terculamentis.

THEMA.

Fari in vias et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Luc. XIV.

Cœnam magnam jure optimo vocare possumus missæ sacrificium: cœnam quidem, quia representat nobis Christi ultimam in qua instituit et obtulit eucharistiam, adeoque sacram missam quam ad exemplum suum celebrare jussit apostolos; magnam vero, quia victima ibi maxima est, Christus scilicet: offerens item